



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

6. Quantum singuli damnificantes restituere debeant. & quo ordine.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

cti, officii, ad eoque ex iniustitia impedire debeant. **C.** Principes non impediunt latrones in terris suis, &c.

- 8 **Famulus non impediens fures extraneos in domum ingredienti, cum possit.** Iudex multam non tenetur exigere, nisi sit consuetudinis loci, nam illius officii non est, fisco ditare. Iudex tamen tenetur ad restitutionem, si negligat Reo imponere multam, & telonarius negligat exigere vectigal. Si testis fugiens vel declinans testimonium, & per negligentiam testimonii sui innocenti causet damnum, tenetur ad restitutionem, nisi si veritatem celans causa sit, quominus innocens alium testem adhibere falsus testis tenetur ad restitutionem damni.

Qui donum accipit à fure ne clamet, aut ne recuset, non tenetur ad restitutionem, nisi sua pollutione furem animosorem reddiderit.

CAP. VI.

Quantum singuli damnificantes restituere debeant, & quo ordine?

- 1 **SI** plures damnificantes, sine conspiratione concurrant, ad damnum inferendum singuli iunctim obligantur, quam ipsimet intulerunt, v. c. haereticus ex vini dolio furato ab aliis, tantum tenetur restituere, quantum bibit vel accepit. Ratio, quia iniuria sua, non est aliquis causa influens in totum damnum, sed solum in partem eius. Si in rixa plures oppugnaverint aduersarium, ille solus de homicidio tenetur, quod lethale vulnus inflixit.
- 2 **Mandans** damnum dari, vt principalis damnificans, ante alios etiam ipsum executorem obligatur ad restitutionem. Ratio, quia actio magis tribuitur agenti

agenti principali, quam exhibenti ministerium: si autem dominus famulo mandet, ut hominem occidat, & is exequatur, famulus est quasi agens ministeriale, & instrumentale. Ergo, &c. Est tamen intelligenda assertio de eo, qui autoritate præcipit, ut dominus, pater, iudex. Nam alii solum sunt consulentes & non mandantes. Tenentur tamen etiam illi ad restitutionem, si alteri suaferint, ut in sui gratiam damnum intulerint, alioquin non illaturi: tales enim censentur authores illati damni.

Concausæ damni dati obligantur tantum in defectum principalis, quare si iste restituat, aut condonetur illi: concausæ penitus liberantur. Ratio, quia ruente principali, ruit accessorium, non item ruente accessorio, etiam principale tollitur.

Inter ipsas concausas prius obligari videntur, quæ positivè cooperantur, v. c. consulendo, quam quæ negativè non obstando, tacendo.

Si plures conspirarunt ad damnum inferendum, singuli obligantur in solidum, saltem in defectum aliorum. Ratio, quia singuli sunt causa totius damni. Cæterum si vnus sociorum restitutionem fecit in solidum, à reliquis, saltem in conscientiæ foro, pro rata repetere potest.

NB. Dux belli damnum iniustum inferens (gregariis militibus debentibus restituere, quod ex iniqua direptione ad ipsos pervenit) tenetur totum reliquum damnum ante alios restituere. In defectum ducis & aliorum authorum damnorum, singuli milites, quia in defectum principalis obligatur causa secundaria seu accessoria.